

res Basilius, Nazianzenus, Clemens, Macarius, Origenes, Theodoretus nominant panem et vinum symbola corporis, σῶμα ἀντίτυπον et quidem symbola τοῦ ὄντος σώματος contra Eutychem,<sup>114</sup> hoc est corporis vere subsistentis et quod reuera in piis adhuc est efficax. Praeterea aperte definiunt ὅτι τὰ ὁρώμενα σύμβολα οὐ μεταβάλλει τὴν φύσιν καὶ οὐκ ἐξίσταται τῆς οικείας φύσεως. [32:] Quod vero aliqui contumeliose reiciunt Origenem, qui valde perspicue de hac causa locutus est, tanquam suspectum, inciuiliter et incaute faciunt. Cum enim integrae synodi et alij docti et pij viri collegerint catalogum errorum Origenis ex scriptis ipsius, inter illos vero non recensuerint errorem aliquem de sacra coena, necesse est eos iudicasse recte hac in parte sensisse et docuisse Origenem.<sup>115</sup> Latini vero, Tertullianus, Augustinus, Prosper, Beda et alij, nominant „signum“ et „figuram“ corporis Christi.<sup>116</sup> Et quid potest dici clarius? Hoc est corpus meum, id est figura corporis. Item corpus suum tradere sese dixit discipulis, cum signum corporis daret, sed non constitui coaceruare omnia testimonia vetustatis. Nam cum plurimi in hoc genere laborarint, possunt ea inspicere in aliis scriptis. Quas vero corruptelas assuerit aetas posterior, paulo post ostendemus.

Porro, quia ecclesiae repurgatae Confessionem Augustanam tanquam symbolum horum temporum merito magnificiunt et plurimi vociferantur hanc piam et simplicem sententiam alienam esse a verbis confessionis, etiam illis accusatoribus respondeamus. Vere statuimus in illa confessione recitari consensum veritatis coelestis traditum in scriptis prophetarum et apostolorum. Ideo ab ea nequaquam discedimus, sed profitemur nos ciues esse ecclesiarum, in quibus haec doctrinae vox sonat et retinetur, sed rursus, cum in illo coetu magna sit dissimilitudo, ita, vt in aliis maior, in aliis minor lux sit, dexteritas et pietas, non patiemur nos excludi a societate verae ecclesiae, etsi aliqui abutantur formis loquendi et illis falsum affingant intellectum, quo nos premi possimus. Deinde cum imbecillitas hominum magna sit et in doctissimis atque optimis etiam vera lux doctrinae subinde crescat et augeatur, fieri potest, vt excidant quamuis docto et circumspecto locutiones minus commoda, quas deinde vsus posterioris temporis emendat et corri-[33:]git, sicut non dubium est autorem confessionis virum omnium sanctissimum plaeraque doctrinae capita saepe repetuisse, magis illustrasse et praesertim in vltimis

<sup>114</sup> Vgl. Ps.-Basilius, Enarratio in prophetam Isaiam I, 18, in: PG 30, 148; Gregor von Nazianz, Oratio VIII in laudem sororis suae Gorgoniae XVIII, in: PG 35, 809. 812; Clemens Alexandrinus, Paedagogus I, 5, 15, 3, in: PG 68, 268 (SVigChr 61, 11,20–22); Ps.-Macarius, Sermones II, 3, 5, in: GCS 55, 6,9–15; Origenes, Excerpta in totum Psalterium, in: PG 12, 1068f.; Theodoret, Eranistes II, in: PG 83, 165 (Ettliger, 151,14–26).

<sup>115</sup> Vgl. hierzu das Edikt des Kaisers Justinian, das auf der Synode von Konstantinopel 543 veröffentlicht und ratifiziert wurde und das Anathematisieren gegen Origenes enthielt, unter denen sich aber keine Verurteilung seiner Sakramentenlehre fand. Vgl. DH 403–411.

<sup>116</sup> Vgl. hierzu Tertullian, Adversus Marcionem IV, 40,3, in: PL 2, 460 (SC 456, 498,27–29); Augustin, Contra Adimantum XII, 3 in: PL 42, 144 (CSEL 25, 140,19–21); Prosper Aquitanus, Expositio psalmodum C–CL. CV, in: PL 51, 305 (CChr.SL 68, 41,190–195); Beda Venerabilis, In Marci euangelium expositio I, 2, in: PL 92, 148 (CChr.SL 120, 455, 727f).